



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

XI. Quod clerici non ludant ad taxillos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

Cedit in opprobrium nostræ religionis, quod ministri ecclesiæ adeo vitam degere inhonestam non verentur, vt etiam otium amplectentes, in vilipendium sui ordinis se immisceant ludis dishonestis: ex quibus quanta periuria, scandala, homicidia & mala sequuntur, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes ergo paterno consilio, vbi discordiarum materiam obrepere sentimus, dispendiis obuiare futuris, ludum taxillorum publice vel occulte vniuersis clericis in sacris ordinibus constitutis, siue etiam beneficiatis nostræ prouinciæ, sacro approbante Concilio prohibemus. Contrarium vero facientes triginta regalium qualibet vice pœnam incurvant, medietatem fabricæ suarum ecclesiarum, medietatem vero expensis sequentis Concilii applicandam.

X II.

Magna mentis amaritudine referimus, quod nonnulli nostræ prouinciæ clerici in presbyteratus ordine constituti, sacramentum eucharistiae, in quo spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, post suscepitum sacerdotalem ordinem, prout tenentur, in animarum suarum periculum & diuini cultus detrimentum, celebrare contemnunt. Ideo sacro approbante Concilio statuimus, vt clerici per nostram prouinciam constituti, cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis existant, postquam presbyteratus ordinem ascenderint, quater in anno Missam deuote per se saltem celebrent, nisi de consilio sui prælati duxerint absti-